

retur definitio ex cathedra statuens sententiam Immaculati Conceptus certam etiam infra fidem, sed tamen cum certitudine infallibilis veritatis; quis cohiberet linguas malignantium, ne fierent gladius acutus, & evomerent conviciorum venena contra quoscunque, qui hac usque impune sententia contraria adhaeserunt, sive sint Sancti Patres, sive doctores Ecclesiae, sive scholorum magistri, sive Ordines religiosi de Ecclesia bene merentes?

Vetus carmen. Desine, quaeso, te ludendum proponere sapientibus. Noli fluctus in simpulo excitare. Nulli sunt Patres, aut fere nulli, qui non pia sententia adstipulentur. Verum, ut video, non pro Patribus pugnas, & Ecclesiae doctoribus, sed pro pallio. Quamquam ne pallium quidem te moveret. Sunt enim multi familiae tuae, qui Cajetanum, Turcrematam, aliosque patronos opinionis absurdae valere iusserunt. Pro te igitur pugnas, & paucis asseclis,

*Multi timens ignominiam, casumque futurum.*

Vis hoc dedecus evitare? Propone tibi sanctissimos viros, Augustinum, Hieronymum, Thomam, aliosque complures, qui vel sententiam saepe mutarunt, vel Ecclesiae iudicio lucubrationes suas haud gravate permiserunt. Agedum ergo, quem tenes errorem, tua sponte deponere; victusque argumento, quod ex Ecclesiae auctoritate allatum est, piam sententiam esse jam certam existimato. Hoc enim faceret D. Thomas, si primum Deiparae Conceptionis momentum Alexandri iudicio Ecclesiae propositum, si istam populi Christiani celebritatem vivus adhuc, & spirans intueretur. Nam est illius haec praecleara sententia (a): *Dicendum, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus emulanda, quia & ipsa doctrina Catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscunque doctoris.* Quod autem obiectas ex tertiae partis quaestione 27. articulo secundo ad secundum,

re-

(a) *Quodlib. 2. ar. 7., & 2. 2. qu. 10. art. 12.*